

Sermo.

.lvii.

123

angelus confortans mulieres dixit eis. Nolite timere vos quasi dicat. Illi timeant apparere coram deo et angelo eius qui eum offenderunt sicut isti custodes. vos autem qui ipsum cum pietate queritis non timeatis. Scio enim quod ipsum queritis nazarenum. surrexit non est hic sicut dixit. Ecce tria verba dixit angelus. Primum est. scio quod queritis ipsum nazarenum qui crucifixus est. non sufficit angelo dicere queritis ipsum. sed addidit qui est crucifixus. quasi diceret. Ex quo est ipse Iesus saluator qui crucifixus est et semper mente retineatis quod per crucifixionem eius saluati estis. Et inde est quod ecclesia inter gaudia resurrectionis semper facit mentionem et memoriam passionis sue que debet semper esse ante oculos cordis nostri. unde nihil aliud est nisi representatio mortis christi. Secundum est signum crucis cum imagine crucifixi quod semper ponitur in medio ecclesie ut intuentes recolant se per christi mortem esse redemptos. et de tanto beneficio ei gratias agant. Tertium est asperitas penitentie quam in corpore pro amore christi iugiter portant. Gal. v. Ego enim stigmata domini mei in corpore meo porto. Et iterum. Qui christi sunt carnem suam crucifixerunt. cum viciis et concupiscentiis. Secundum verbum est non est hic. Istud verbum tripliciter exponitur. Primum non est hic scilicet presentia corporali. vbi non fatigamini inuenire corpus eius quia non est hic. et vt mihi credatis. venite et videte locum vbi positus erat dominus. Secundo sic. non est hic in monumento qui est locus mortuorum quia non habitat inter mortuos. vel morte spirituali. vt sunt viuentes in peccatis. vel morte infernali vt sunt damnati. sed habitat inter viuentes vita spirituali vt sunt penitentes. et vita celesti vt sunt in celo regnantes. Tertio sic. non est hic id est in monumento quasi diceret. non est in hora mortis tantum querendus. Dum enim homo viuit debet querere christum et sic eum inueniet. aut cum difficultate magna inueniet. Qui ergo sola hora mortis eum querere expectat aut non inueniet aut cum difficultate magna inueniet. Tertium verbum fuit. surrexit sicut dixit scilicet discipulis et etiam nobis quia tertia die resurget. In quo nos habemus exemplum quod nos cito a peccato debemus resurgere. Item quod tertia die scilicet contritionis. confessionis. et satisfactionis. Sequitur quod angelus postquam nunciauit mulieribus resurrectionem domini misit eas ad apostolos discens. Euntis dicite discipulis eius quia surrexit et precedet eos in galileam et ibi videbunt eum. Et sic iste mulieres tria verba dixerunt. Primum est quod dominus surrexit. voluit angelus sicut bonus nuncius gloriam resurrectionis dominice non solum nunciare mulieribus quas ad monumentum inuenit sed etiam discipulis et omnibus alijs amicis. quia ea que ad honorem dei sunt libent

p 3